

DEO DUCE

MEDITATIO

CANTICI S. SIMEONIS
FESTO PURIFICATIO-
TIONIS, MARIÆ;

Additis S. Patrum dictis, Quæstio-
numq; aliquot decisione, ad uberiorem textus cum opus
est explicationem, & Heterodoxorum refutationem.

QUAM

In Regia Aboënsi Academia,

PRÆSIDE

ÆSCHILLO PETRÆO,

S. S. Theolog. Doctore & Episcopo Aboënsi.

Examini subicit, in Auditorio Majori, horis solitis

Ad diem 22. Novemb. Anni 1653.

BARTHOLDUS CÖÖS SIMONIS F.

Theophylactus in hunc locum.

Simoon Spiritu sancto motus, ascendit in templum, quando adduxit Dominum mater,
& suscepto illo Dominum confessus est. Dicere enim, nunc absolvis servum
tuum Domine; Confitentis est, quod ipse sit dominus vitæ, & mortis.

Ambrosius hunc in locum:

Qui vult dimitti, veniat in templum, veniat in Hierusalem, expectet Christum Domi-
ni, accipiat in manibus verbum Dei, complectatur velut quibusdam suæ fidei
brachis. Tunc dimittatur ut non videat mortem, qui viderit vitam.

A B O Æ,

Excusa Typis Acad. apud Viduam Petri Waldj. An. 1653.

VIRIS

*Reverendis, Venerandis, Doctissimis, Humanissimis,
Prudentissimis & acutissimis.*

Dn, SIMONI BARTHOLDI GOESIO
Pastori Cumoënsium vigilantissimo, parenti suo
Charissimo,

Dn, ANDREÆ KECONIO Rectori Scholæ
Arctopolitanæ, meritissimo, affini suo
dilectissimo.

Dn, JOHANNI JOHANNIS GODE
Comitatus Biörneburgensis Inspectori, spectatissimo.
Fautori suo propensissimo.

Dn. THOMÆ BARTHOLDI Verbi Divini
in Huittis symmystæ fidelissimo, quondam Præceptori
nunc verò fautori colendissimo.

Dn. GEORGIO ERICI CULMANNO
Sacellano, in Cumo diligentissimo Fautori & amico
perquam dilecto.

Dn. JOHANNI GYMSEEN perstre-
nui Chiliarchi Christ: von Burmeisters Apologistæ expe-
ditissimo, amico itidem & Fautori
desideratissimo.

*Hanc Homiliam, & qualemcunq; ingenio mei factum, in debita
Reverentia indicium, animiq; pra maximis in me collatis
beneficiis, gratissimi tesseram, submisisse Consecro, offeroq;.*

Bartholdus Gøds

Resp.

CONCIO SECUNDA
DIE PURIFICATIONIS MARIE.

In Sanctæ & Summæ laudandæ TRINITATIS, PATRIS,
FILII & SPIRITUS Sancti Nominè.

SCio enim, quòd redemptor meus vivit, & in novissimo die de terrâ surrecturus sum. Et rursùm circumdabor pelle meâ, & in carne meâ videbo Deum. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturî sũnt, & non alius. Reposita est hæc spes meâ in sinu meo. Job. 19. v. 25. 26. 27. Magni momenti esse hæc verba Iobi, patet ex ejus præfatione his verbis præmissa. In verbis præcedentibus, v. 23. 24. In quibus optat ut hic illius sermo scribatur & plumbo stylo ferreo inscribatur in perpetuam rei memoriam. Edit autem Iob in his verbis suam confessionem, primò de Christo Salvatore, quod crediderit eum moriturum & sepeliendum & ex mortuis resurrecturum. Deindè loquitur Iob de suâ resurrectione in novissimo die, scit has tribulationes, quas jam sustinet in magna patientia, finem habituras. Quodque post corporis sui putrefactionem & in terram resolutionem juxta vetus fœdus Syr. 14. hoc corpus renovandum sit & restaurandum, cutis jam rupta & lacera, propter ulcera, sanabitur optimè & restaurabitur, ut tota niteat sicut res quæque pulcherrima, licet jam deformis appareat propter ulcerum deformitatem. Resuscitabit verò eum Christus Dei filius, qui semel mortuus nunquam moritur, atque ita resuscitatus videbit Deum in suâ carne, hoc, est, his carnalibus

nalibus suis oculis visurus sit Deum. Hanc visionem Deus ipse perficiet, sine quo etiam nullatenus fieri potest. Ostendit Iob se visurum Christum suum redemptorem & redemptorem sibi consolationi & gaudio, nec ab istâ visione unquam abstrahetur; neminem unquam vel posse vel velle aliquem arcere â Christi tribunali, sed omnibus patefieri, nec, inquit S. Iob, ullus alius inde detrudet. Hoc Iob exemplum etiam nobis imitandum videlicet ut in adversis nos solemur meritis Christi & restitutione cœlestis nostræ patriæ, unde eiectioni eramus. Hoc ipsum etiam in recitato textu fit in S. Simeone, ut mox audiemus.

O Remus autem Deum ut hoc pium S. Simeonis canticum, ita meditari queamus, ut cedat in nominis Divini gloriam, nobis in augmentum & incrementum doctrinæ, & honorum operum, in spem & fiduciam & tandem in æternam beatitudinem: Dicamus igitur. Pater noster &c.

Evangel. Luc. 2. v. 25. ad v. 32.

ET ecce homo erat Hierosolymis cui nomen Simeon: & homo iste, justus ac pius, expectans consolationem Israel: & Spiritus sanctus erat super eum. Et responsum acceperat â Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Et venit per spiritum in templum. Et cum inducerent puerum Iesum, parentes ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo ipse quoque accepit eum in ulnas suas & laudavit Deum, ac dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum,

*in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum,
quod parasti ante faciem omnium populorū, lumen ad
revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.*

Qualis vir Simeon fuerat, cujus hoc est canticum? S. Lucas in illius historiâ indicat: Ecce inquit, Ierolymis erat vir nomine Simeon, & hic erat justus & pius expectans consolationem Israël, & Spiritus S. erat cum illo, hic accepit responsum à Spiritu S. se non visurum mortem, nisi prius vidisset Christum Dominum. Hic venit in templum instinctu Spiritus. Hæc omnia eximiam continent Simeonis commendationem, ut etiam ex concione meridianâ percepimus. Tractat Simeon in hoc suo cantico, intimum colloquium cum DEO, de felici ex hoc mundo exitu ac discessu; ut jam liceat in pace ei dimitti; Ut verò Deum permoveat ad hanc dimissionem, ideò ob oculos ponit promissionem quòd Deus promiserit ei dimissionem, & quidem ad certum terminum, videlicet ut tunc dimitteretur, postquam vidisset Christum Dominum, sicut mox indicat dicens: Oculi mei viderunt salutare tuum, Messiam & Salvatorem Christum; describit hunc in modum, quòd sit paratus omnibus, ob omnium salutem ad illuminationem gentium & gloriam populi DEI Israël. Excitatur ad orandum Deum pro felici ex hac vitâ exitu; ad orandum: libera nos à malo. Confirmatur fides nostra de Christo, quòd sit propter nos homines natus & passus ac mortuus.

P A R T E S:

1. De Simeonis petitione, ut dimittatur.
2. De tempore, quòd petit dimitti.

3. De modo, quò vult dimitti.

Atq; hæ sunt istæ partes, quas hæc vice breviter & simpliciter tractare constituimus: *Omnipotens & æterne DEUS, Pater noster celestis dilectissimus, nobis omnibus benedicat, cunctaq; utiliter & fructuose cedere faciat.*

P R I M A P A R S

In quâ meditamur.

I. Quem invocet & à quo petat dimissionem. Hunc indicat S. Lucas, cum dicit Simeonem, accepto in ulnas Pueru Jesu, laudasse Deum ac dixisse: *Domine nunc dimittis servum tuum in pace, secundum verbum tuum.* Dominum orat Simeon, à Domino petit dimissionem. Quis verò Dominus intelligatur à Simeone, apparet ex immediatè præcedenti textu, ubi dicitur Simeonem laudasse Deum ac dixisse: *Domine nunc dimittis servum tuum.* Deum itaque invocat Simeon pro felici ex hoc mundo discessu, vocat Deum, suum Dominum & se illius servum. Deus est noster Dominus, qui creavit nos dans corpus & animam, rationem, sensus & omnia membra, sustentans nos omnibus necessarijs, protegens & defendens nos à periculis corporis & animæ. Est Dominus noster, quia per filium nos redemit à morte, potestate Sathanae & inferno liberavit non auro & argento sed Christi pretioso sanguine & amarâ passione ac morte. Est noster Dominus, quia sanctificat nos, dans optima dona, per quæ sanctificamur & regeneramur, undè nobis vestes candidissimæ & vestis nuptialis, ut nuditas nostra optimè tegatur. Hæc beneficia Dei Do-

mini

mini nostri laudat & extollit David, Psal. 23. Psal. 107.
Psal. 139. Psal. 106. Hanc Dei bonitatem prædicat Da-
vid, Psal. 107. in quo varios casus enumerat, in quibus
DEI bonitas elucet erga timentes se. Intelligit itaque
hic S. Simeon, non carnalem aliquem & creatum Do-
minum, quales Domini in hoc mundo, quippe homines,
de quibus canit David ipsimet Rex, Psal. 146. v. 1. 2. 3. 4. 5.
6. Et Syrach concionatur cap. 40. v. 1. 2. 3. 4. Deum
orat & invocat Simeon pro dimissione ex hoc mundo.

L. C. I. Deum esse invocandum, monemur exem-
plo Simeonis, hominis justii, piij, expectantis suo tem-
pore consolationem Israelis secum & omnium Iugen-
tium, hominis cum quo erat Spiritus sanctus. Cum
Sathanas impudentissimè flagitasset à Christo, ut se ad-
oraret, respondit Christus: Abi Sathan, scriptum est;
Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies. Et
hoc vult etiam primum præceptum: non habebis Deos
alienos; nec non secundum præceptum, quò jubemur
Deum, Dei nomen invocare in omnibus necessitatibus
Hoc est præceptum Dei, ut ipsum invocemus Psal. 50.
invoca me in die tribulationis, exaudiam te & glorifi-
cabis me. Quam stultè faciunt idola invocantes, indi-
catur. Psal. 115. v. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. Quare etiam qui-
dam instituunt orationes & præces ad sanctos demor-
tuos, patet ex Esa. 64. v. 15. 16. 17. & versibus præceden-
tibus egregiè demonstrat Propheta, quem Israel & tota
Ecclesia Dei invocat, cum dicit, v. 12. 13. 14. Qui an-
gelos adorant, faciunt hoc invitis angelis, ut apparet
ex angelo, quem Iohanes voluit invocare qui prohibuit
Iohanem invocare se, ne hoc facias, inquit, conservus
tuus sum.

L. C. 2. Etsi sine intermissione orandum, ut Christus monet & aliquot similitudinibus assiduitatis precandi efficaciam declarat, Matth. 7. Qui petit, accipit, pulsanti aperietur & quærens inueniet. Apostolus etiam Paulus assiduitatem in precibus commendat. Præcipuè tamen orandus Deus, cum intelligamus extremum vitæ tempus instare, ut Simeon hic facit. Quod fuerit sollicitus de felici discessu ex hoc mundo, apparet inde quod acceperit responsum à Deo de tempore dimissionis suæ. Etsi enim non requirendum de tempore & horâ mortis nostræ, est tamen orandus Deus, ut nos feliciter in sui nominis gloriam & nostram salutem æternam dimittat ex hoc mundo, ut prætiosa sit mors nostra coram Domino, ut in Domino moriamur, ut in plenâ & firmâ fide moriamur, ut in ardenti dilectione Christi moriamur, ut desideremus dissolvi & esse cum Christo, ut omne dubium absit de vitâ æternâ & ejus possessione, per mortem Christi, ut credamus etiam nobis jam à Christo dici: Hodie mecum eris in paradiso. Orandus Deus ut doceat nos mori, Psal. 39. v. 6. 7. 8. 9. Non oravit dives ille Luc. 12, ut doceretur à Deo mori, sed diuitias cogitabat & longam vitam, sed subito mortuus. Dives epulo Mosen & Prophetas spernens, epulas & splendidas vestes quotidie cogitans, opinione celerius morte opprimitur sine pœnitentia & reconciliatione cum Deo & anima ejus in infernum præcipitata. Luc. 16. Deus itaque invocandus & orandus ut doceat nos mori, ut ille nos dimittat, sic enim rectè morimur, & summam sapientiam adepti sumus.

L. C. 3. Deus invocatus à nobis, pro felici mortis horâ

horá, honoratur & laudatur á nobis. Hoc S. Lucas dicit, accipiens, inquit, Simeon in ulnas puerum, laudavit Deum & dixit : Domine nunc dimittis servum tuum in pace. Deo itaque placet tanquam verus Dei cultus, oratio iusti facta etiam pro felici exitu ex hoc mundo. Socordes illos homines & securos, non gerentes se ut viatores decet civos, semper esse paratos ad iter, quamdiu sunt extra patriam, abominatur Deus tanquam rebelles filios & prodigos, non cogitantes quæ ad pacem suam sunt. Vident se vivere inter morientes, & tamen non cogitant de suâ mortalitate carnalibus cogitationibus, modò se alunt & decipiunt. Horum cogitationes & colloquia describuntur Sap.2. per totum caput. Ab horum societate & cogitationibus alienos nos esse decet, si modò in veram patriam recipi cupiamus, post decursum hujus vitæ spatium. Si velimus audire illam suavissimam vocem: venite benedicti patris mei, possidete regnum, ante creatum mundum, vobis paratum, Matth. 25. Si velimus ire in gaudium perpetuum. Si velimus audire illam jucundissimam vocem: Evge serve bone & fidelis in parvo fuisti fidelis, constituam te super multa, intra in gaudium Domini tui. Matth. 25. v. 23. Virgines prudentes quinque assiduè cogitantes de adventu sponsi, dum moraretur, paratas habentes lampades suas oleo & igne, recipiuntur á Sponso in nuptiale gaudiũ, at segnes & desides & somno. lentæ, tædio affectæ morâ Sponsi impeditæ sunt, ad adventum Sponsi clamor factus subito concubina nocte. Sponsus adest; illæ fatuæ oleum non habent, volunt habere oleum, non accipiunt, seriùs paratæ relinquuntur extra nuptiale gaudium Matth. 25. Quare monet Syrach cap. 7 v 4. Quicquid agis, memorare novissi-

ma tua & in æternum non peccabis. Quam adhortationem tanquam clausulam subjungit aliquot præceptis, quæ describuntur eodem capite, v. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39.

II. Tempus dimissionis, quo petit Simeon se dimitti, ut servum à Domino suo. Nunc, inquit, dimittis servum tuum Domine in pace. Præscribere videtur Simeon tempus suæ dimissionis ut veniat DEUS & non tardus veniat & relaxet facinora servi sui, remittat peccata det abeundi veniam ex hoc mundo, solvat funes quibus hic constrictus in hâc carne & liberum dimittat. Quasi dicat Simeon; satis diu ô Domine in his mundanis ærumnis vixi, satis gustavi amaritudinem hujus mundi, sæpius deceptus sum hujus mundi blanditiis & nisi verbum tuum fuisset consolatio mea, dudum in afflictionibus meis periissem, jam si ita placet tibi, utique allubescit discedere. Tu verò solus nosti, quid tibi placeat, mihi proficuum.

L. C. I. Longam vitam non petit, Simeon, sed quantocius dimitti cupit, modò ita videtur Deo. Laudatur Salomon, quod in suâ ad Deum precatone, longam vitam non petierit, nec divitias, nec animas hostium suorum sed solam sapientiam. 1. Reg. 3. v. 11. Pollicetur Deus quidem longam vitam, honorantibus parentes suos. Eod. 20. Honora patrem & matrem ut sis longævus super terram. Et de Rege canit David Psal. 21. v. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Jehova, de robore tuo lætatur Rex, & de salute tua, quam vehementissime exultat! Desiderium animi ejus tribuisti ei & quod protulit labiis non recusasti. Quin etiam prævenisti eum benedictio-

ditionibus, imposuisti capiti ejus coronam auri optimi. Vitam petiit à te: dedisti ei ampliationem dierum in seculum & semper. Magna est gloria ejus in salute tua: splendorem & decus adaptasti super eum. Nam disposuisti illi benedictionem in sempiternum exhilaravisti eum lætitiâ à facie tua. Quoniam ipse Rex confidit Jehovæ, ideo fretus benignitate excelsi non dimovebitur. Hiskiaë pii Regis Judæ preces pro longiori vita exaudivit Deus & prolongavit vitam ad quindecim annos. Verum non petiit pius ille rex longam vitam, quâ hoc mundo delectatus, vel hinc manere gestiebat ut sibi viveret, sed ut rectius regeret subditos in more Domini, & posset supplere quod haëtanus defuisset in suo regimine. Sicut itaque nec divitiæ, nec longa vita petenda, optanda potius mens parata mori, quæ quotidie oranda ex Psal. 39, v. 6. 7. 8. 9. 10. Ecce palmarum res posuisti dies meos, ævum meum ac si nihil esset coram te, certè, mera vanitas est omnis homo dum consistit. Certè inter imagines ambulat, quivis certè in vanum tumultuatur: coacervat & nescit quisnam collecturus sit ea. Nunc igitur quid expectarim Domine? expectatio mea ad te est. Ab omnibus transgressionibus meis eripe me; opprobrium insano ne statuas me. Obmutui non aperiam os meum nam tu fecisti. Aufer à me plagam tuam: præ exagitatione manus ego defeci.

L. C. 2. Omne tempus moriendi commodum est, postquam Christum in ulnas gestare cæpimus. Sicut Simeon postquam Jesum ulnas apprehendisset, petit se dimitti. Priusquam vero Christum gestare cæperimus, periculosum est mori. Extra Christum nulla est salus, ita Christus manifestè docet, Job. 3. Sic Deus di-

lexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat sed habet vitam æternam. Qui non credit in nomen unigeniti filii Dei jam iudicatus est, Ubi itaque est cognitio & amor Christi, illic non est mors immatura. Ubi illa est Fiducia Apostoli Rom. 8. v. 31. seq. ad finem capitis. Philip. 3. v. 7. ad v. 15.

L. C. 3. Expectanda divina dimissio & tempus dimissionis, non proprio arbitrio abeundum ex hâc statione, expectandum tempus à Deo præscriptum. Nam scimus nos vinci tædio hujus vitæ & molestiis, perferamus, canamus cum Davide Psal. 130. per totum. meditanda verba Psal. 37. v. 20. ad finem.

III. Modum discedendi,

quem petit Simeon. Dimitte, inquit, servum tuum nunc in pace; in Dei pace petit Simeon se dimitti, ne in ira Dei discedat. Ita David orat Psal. 6. v. 2, 3, 4, 5, 6. in morte inquit David, quis de te cogitat, videlicet cum tu in ira tua aliquem hinc abripis, ibi nulla cogitatio de tua misericordiâ, de remissione peccatorum propter Christum. Evenit impiis & qui sine pace Dei evocantur, quod canitur Psal. 73. v. 17, 18, 19, 20.

Utique;

Utique in lubricis ponis eos, deiicis eos in vastitates, quomodo abeunt in desolatione quasi momento; desinunt, consumuntur terroribus? Tanquam somnium postquam evigilavit quispiam: Domine, cum expergefascis eos, imaginationes eorum contemnis. Servus enim qui discessit a Domino suo irato, coniiicitur in carcerem, nunquam dimittendus, nulla spe misericordiae. Necessarium itaque petere, ut in pace Dei cum eius gratia dimittamur.

*L. C. 1. Cogitanda pax Dei, quae superat omnem intellectum, illa nobis in vita & morte necessaria. Sapius in Apostolica scriptura vocatur Deus pacis Deus Rom. 15. v. 33. cap. 16. v. 20. 1. Cor. 14. v. 33. 2. Cor. 13. v. 13. Philip. 4. v. 7. 1. Tim. 5. v. 23. 2. Thess. 3. v. 16. Ebr. 13. v. 20. Concionantur Angeli: Gloria in excelsis Deo & in terra pax, hominibus bona voluntas, Oremus quae ad pacem sunt Ierusalem, Ecclesiae & anima nostrae, Psal. 122. v. 6. 7. Sit pax in praemunitio-
ne tua, tranquillitas in palatiis tuis; propter fratres meos & amicos meos, eloquor nunc, pax sit in te, propter domum Iehovae Dei nostri procurabo bonum tibi. Hanc pacem DEI, Christus nobis adfert, ut promittit dicens: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis. De hac pace gloriatur & gaudet David, Psal. 3. v. 1. per totum, Iehovach, quam multi sunt qui praemunt me, quam multi insur-*

*gentes adversus me? Quam multi dicentes anima
mea, non est salus ei in DEO. Tu vero Iehovah
Clypeus es circa me gloria mea & exaltans caput
meum. Voce mea ad Iehovam clamavi, & exau-
divit me ex monte sancto suo. Ego cubo, & obdor-
mio, et evigilo: quia Iehovah sustentat me, non ti-
mebo à multis Myriadibus populi, qui undique sese op-
ponunt mihi. Exsurge Iehovah, serva me Deus
meus: sanè percutte omnes inimicos meos in maxilla,
dentes eorum conterere. Iehova est salus, & supra
populum tuum benedictio tua. In Ecclesiasticà be-
nedictione orat Ecclesia: convertat Dominus vultum
suum ad nos, et det nobis pacem.*

L. C. 2. Certus est Simeon de felici exitu, ut patet
ex eo, quod dicit se habere divinam huius felicitis exi-
tus promissionem. Secundum verbum tuum, inquit,
viderunt oculi mei, salutare tuum, quod parasti popu-
lo, lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis
tuæ Israel. Ita & nos minime dubitare debemus, quin
Deus qui incepit in nobis opus bonum, confirmet nos
in eo, ad finem vitæ nostræ ut dicit Paulus. philip. i.
v. 6. Persvasum enim habeo hoc ipsum, fore ut qui,
incepit in vobis opus bonum, perficiet usque ad diem
Iesu Christi. Oremus id ipsum à Deo, cum S. Petro i.
Pet. 5. v. 10. 11. Sed Deus omnis gratiæ, qui vocavit
vos ad æternam suam gloriam per Christum Jesum,
parumper afflictos, idem restauret vos, fulcat, roboret
stabiliat. Ipsi gloria & imperium in secula seculorum
Amen.

Clementissime Deus pater
coelestis, tibi gratias agi-
mus, quod miseris filium tu-
um, Dominum nostrum Je-
sum Christum, ad illuminan-
dum nos, & ad glorificandum
nos, æternam gloriam nobis
parando; Aperi oculos fidei
nostræ & illos conforta, ut ju-
giter aspiciamus in salvato-
rem nostrum, toto corde &
mente, & teneamus donec
nos in coelestia tabernacula
secum perduxerit, per eundẽ
Dominũ nostrũ Jesum Chri-
stũ qui tecũ & spiritu S. vivit
& regnat in secula seculorũ.

Quæstiones:

I.

An illi solum salventur qui Christum oculis corporeis vident? Resp. Etsi non omnibus datur, corporalibus oculis Christum in carne (in hac vita) videre: tamen qui Christum salvatorem oculis fidei intuentur & agnoscunt, non minus tranquillo animo, quam Simeon ille pius, mori possant. Christus enim dixit: Beati qui non viderunt, & (tamen) crediderunt, Ioh, 20.

II.

An Christus sit solum gloria populi Israelitici, & illuminet saltèm gentes? Resp. Omnes homines à Christo illuminantur, hoc est, quotquot illuminantur, illi à Christo illuminantur tam Iudæi quam gentes ut testatur S. Iohannes cap. I. v. 9. dicitur autem Christus gloria populi Israelitici, & quia filius Dei humanam suam naturam ex ea gente adsumsit: & quia Israelitis imprimis promissus & donatus fuit erat redemptor: quo Rege & Domino nullus unquam major (imò ne similis quidem) in orbe terrarum extitit. Hâc autem gloriâ Iudæi increduli sese indignos reddunt & privant, itaq; à Deo abijciuntur.